

enim argumento lumen naturæ circumcissionem probabit? ex quo argumento legis naturæ Ægyptii scire potuerunt, *incircumcisum esse opprobrium*. Quid? quod natura, in se considerata, circumcissionem paradoxam esse censet, cum ea ab omni partium obscœnarum, quas ipsa occultavit, denudatione abhorreat. Audiamus illud Eloquentiæ Romanæ lumen, *Ciceronem*, hac de re ex naturæ ductu ita differentem *l. 1. c. 35. de offic.* *Principio corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem; quæ formam nostram, reliquam figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu: quæ autem partes corporis, ad naturæ necessitatem data, ad spectum essent deformem habitura atq; turpem, eas contexit atq; abdidit. Hanc naturæ tam diligentem fabricam imitata est hominum verecundia. Quæ enim natura occultavit, eadem omnes, qui sana mente sunt, remouent ab oculis, ipsiq; necessitati dant operam ut quam occultissime parent: quarumq; partium corporis usus sunt necessarii, eas neq; partes, neq; earum usus suis nominibus appellant, quodq; facere non turpe est, modo occulte, id dicere obscœnum est. Si igitur recta ratione alienæ nuditatis conspectum adeo vetat, multo minus eo deveniet, ut membri hujus mandet circumcissionem. Et quem in finem mandet istam? an ideo, ne homines sordibus polluantur? sed quid circumcisio ad abstergendas sordes iuvat: an eum in finem, ut Numen supremum hocce ritu, tanquam externo obedientiæ signo colatur? Minime: novit enim natura, Deum non ad hominum, sed sui ipsius voluntatem colendum esse, cum nec terrenus Dominus ad servi, sed suum velit honorari beneplacitum. Præterea cum nulla sit proportio inter Deum, tanquam Spiritum infinitum, & circumcissionem, tanquam ritum externum & corporalem, Numen potius pure mente, quam ejusmodi ritu colendum esse. Vid. *D. Jo. Andr. Schmid. Theol. Nat. posit. Part. 3. §. 6. p. 137.* Tantum ergo abest, ut natura hanc circumcissionem excogitet, ut potius eam tanquam paradoxam traducat. Deinde nec ex traditione gens Ægyptiaca*

ptiaca